

collocarunt, vel saltem ex Aristotelis sententia. Quia  
ea sunt instrumenta, sine quibus homo vix felix esse po-  
test. Tandem dicitur etiam τὸ ἀγαθὸν ἄριστον optimum  
bonum lib. 1. Eth. c. 8. cō, quod Beatitudo sit perfectissi-  
ma & ultima, proindeq; etiam optima.

XIV. Sed quia de nominibus non magna est inter  
Philosophos controversia, ad eam partem quaestionis τί  
ἐστὶ in qua Quid S. B. non sit, ostenditur, properabimus.  
Licet verò tot opiniones de illo reperiantur, quot sunt  
hominum genera; tamen ne in refutandis aliorum erro-  
ribus inanem videamur laborem sumere τὰς μάλιστα ἐπι-  
πολαζύσας, ἢ δοκῶσας ἔχειν τινὰ λόγον examinando perstrin-  
gemus.

XV. Quae propter tria vitae genera maximè conspi-  
cua, ἀπολαυστικόν, πολιτικόν, θεωρητικόν, in tres etiam ordi-  
nes commodè distingvi poterunt. Vt enim vulgus vo-  
luptatem; Sic Politici honorem; Philosophi verò qui-  
dam communis omnium bonorum Ideæ contempla-  
tionem pro S. B. colunt & venerantur. Eth. N. c. 5.

XVI. Quam longè verò hæ opiniones singulæ à ve-  
ritatis tramite recedant, ex sequentibus videre est.

XVII. Ac primò quidem corporis voluptas titu-  
lum Summi Boni, hominisque proprii ideò respuit, cum  
ea non ad solum hominem pertineat, sed naturam belua-  
rum quoque non minus, quin plus etiam, quàm homi-  
num attingat.

XVIII. Et quí fieri potest, ut Sardanapalus omni-  
um libidinum ac voluptatum charybdis felix evadat? Si  
enim voluptas sit nihil aliud, quàm esca serpentis, quàm  
cicuta virtutis, quàm spuma & sperma veneris, quàm sen-  
tina, & (ut loquitur Orator) tæda omnis turpitudinis, &c.  
quí fieri potest, ut sit proprius finis & summum hominis  
bonum